

vel potius hærescōn lacuna, vt docet Damascenus:
adēo vt inter vtriusque blasphemiae exortum siue
initia, xv. tantūm annorum spatium ferē interces-
serit. Totum autem Orientem & Meridiem celer-
rimē occupauit Mahumetismus, quemadmodum
Papismus totum Occidentem & Septentrionem:
atque ita duplex & bipartitum factum est Satanæ
regnum, è quibus Mahumetismus quidem naturas
in Christo abolet & negat: Papismus autem offi-
cia & verum munus Mediatoris, & titulum Christi
tollit & abrogat. Mahumetismus autem à Mahu-
mete (quem alij Mahomedem, alij Machometem,
Damascenus Magmedum vocat, nos autem rece-
ptam iam & tritam pronuntiationem sequimur)di-
ctus est. Fuit autem iste Mahumet ex Arabum Is-
maelitarum (qui Agarenorum nomen ab Agar an-
cilla Saræ retinuerūt) gente, Abdalę principis Ara-
bum filius, Munichialeensis, quæ est prouincia ad
mare Elamicum in Arabiā Petræa, licet postea se
Saracenos tanquam à Sara dici voluerint Agareni,
vt Sozomen.lib.6.cap.38.scribit. Sub Philippo im-
peratore persecuti sunt Christianos, vt tradit Eu-
feb.lib.6.cap.42. Sub Valēte verò primū Mosis
cuiusdam Monachi monitu & admiratione Chri-
stiani facti sunt, vt Ruffin. libr.2. Histor. cap.6.com
memorat. Atque in fide Christi à monachis qui
phrontisteria & asceteria sua in Arabicis desertis
habebant, instituti, permanserunt in ea, donec va-
riis & penè infinitis nouarum subinde hærescōn
tempestatibus & fluctibus agitata & submersa ve-
ra fidei doctrina, tandem in Ægypto, Arabia & Sy-
ria extincta est: imprimis autem, vt diximus, errori-
bus Eutychianorum, qui omnem Orientem & Me-